

Peter Lauremberg

Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis Petrus Lauremberg Phil. & Med. D. & Prof. Cives omnes Academicos vocat & invitat, Ad solemnes exequias, Quas luveni ... Johanni Gemlino, Pentzelinensi Megapolitano I. U. Studioso adornatas cupiunt, Hospes & populares, Hodierna die ad medium Horae 1. in Templo Mariano

Rostochii: Pedanus, 1635

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777448599>

Druck Freier  Zugang



Lauremberg, P.,
in J. Gemlin.

Rostock. 1635.

52

PROGRAMMA

QVO

Rektor Academia Rostochiensis

PETRUS LAUREMBERG

Phil. & Med.D. & Prof.

Cives omnes Academicos vocat &
invitat,

Ad solemnes exequias,

QVAS

JUVENIORNATISSIMO

JOHANNI
GEMLINO,

Petzelinensi Megapolitano

J. U. Studioſo



adornatas cupiunt, Hospes &
populares,

Hodierna die ad medium Horæ I. in Templo
Mariano.

ROSTOCHII,

Litteris Viduæ Joachimi Pedani, Acad. Typ.

ANNO M. DC. XXXV.

PROGRAMMA

PHYSICAE
P. M. D. & P. R. O. F.

Abolitiones exequias

ANNO 1772

JOHANNI GEMELINO

Præfationis Megabolino

J. U. Studio

Abolitiones exequias Hoffers

populares


Hoffers die ad medium Hora I. in Templo

M. D. C. C. L. X. X. II.

ROSTOCK

Libris Vitis Johannis ad in. Vitis Typo
M. D. C. C. L. X. X. II.





RECTOR

Academix Rostochiensis

PETRUS LAUREMBERG,

Phil. & Med. D. & Prof.



DOLESCENTUM STUDIOSORUM
ætas, vitæq; decursus simillimus
est Navi, quæ à littore soluta, ven-
tis se committens, per patentes
pelagi undas passis velis provehi-
tur in altum. Ea omnis, secuti sibi, ad quem aspi-
rat, præfixum habet portum; Sic plariq; adole-
scentes, postquam ex Ephebis excesserunt, ad
certum aliquod studium actiones suas adjun-
gunt, eòq; velut ad objectam metam dirigunt o-
mnia consilia: aut sacras disciplinas sectari: aut
scientiam Juris & æqui: aut ad Medicos: aut Phi-
losophos, aut aliud aliquod vitæ genus. Nunc
vero quemadmodum naves plurimæ, usæ Ne-
pruno & Æolo faventibus, aurâ serenâ, fluctib.
pacatis, velificatione secundâ, ad optatum por-
tum appellunt, terramq; & stationem, spe ani-
moq; præconceptam, contingunt feliciter: Hæc
secus studiosi juvenes, rerum suarum satagen-

A 2

tes,

tes, si debita industria & sollicitudine cursū studiorum moderentur, Deo duce, virtute comite, Fortuna pedisequā, ad speratos eventus pro-
vecti, pulcherrimam & tutissimam Eruditionis ac sapientiæ metam, adeoq; votorum suorum summam, salvi & incolumes assequuntur. Ast verò, sicuti sæpius usu venit per tempestatem, dum unà Eurusq; Notusq; ruunt creberq; procellis Africus; dum mari inhorrescente, ab imo commoventur fluctus, quod tum navis in di-
ram & Ulysseam peregrinationem incidat, varijsq; turbinibus quassata, allisa ad saxa & Syrtes, amisso regimine, ægre ad ulterioris littoris marginem detrusa, prohibeatur portu, vectoresq;, amissis rebus omnibus, vix enatent semimortui: O quàm multi adolescentes ad eundem modum, in medio vitæ curriculo, incidunt in Scyllam & Charybdin! quam multi ad Scopulos offendunt! Syrenum voces & Circes pocula experiuntur! idest voluptatum illecebris; de fidiæ, luxuriæ, ebrietatis, lasciviæ blandimentis transversum aguntur! & lacerâ fractâque salutis ancorâ, periculosum faciunt naufragium, ac jacturam bonæ famæ, opum, sanitatis, preciosissimi temporis! Deniq; sicut videmus nonnunquam navim universam, in
alto

alto æquore, sicubi rimam aut hiatum forte duxerit,
penitus submergi profundis fluctibus, quæque eâ ve-
hantur, mercium incolumitatem, hominumque
vitam amitti in undis; tametsi neque nauclerus,
neque navales pedites, neque remiges quidquam
intermittant, quod ad servandam navim conducere vi-
debatur: Similiratione in pleno ætatis vigore, in me-
dio studiorum itinere, juvenes sæpe acerbæ morti suc-
cumbere, & modo morbis acutis ac pernicialibus; mo-
do alio casu prostrati, sic ferentibus ac volentibus fatis,
è vitâ decedere coguntur; adhibitis licet adminiculis
omnibus, quæ usui ac salutis esse illis debebant. In exem-
plam insperatæ ac properæ hujusmodi submersionis ac
interitus, nobis esse potest juvenis egregius, & erudi-
tus JOHANNES GEMLINUS, qui cum ex impro-
viso & præcipiti lapsu foemur læsisset, subortâ exinde
febris ardente, præter omnem expectationem, in flore
ac vigore annorum juvenilium, immatura morte extin-
ctus est, frustra violentiæ morbi occurrente Medico-
rum industria & experientiâ. Politissimi hujus adole-
scentis patria fuit *Penzlinum*, oppidum ducatus *hujus
Megapolitani*, in quo ante annos præter præterXXVI.
primò vitalem lucem aspexit; patre viro doctissimo &
Prudentissimo Dn. JOACHIMO GEMPLINO, Con-
sule prædicti oppidi, qui non solum ob egregia in eam
Rempubl. merita, sed insuper ob eruditionem, & sin-
gularem bonarum litterarum notitiâ, etiamnum post
sua fata, laude ac honestâ memoriâ fruitur. Mater illi
fuit ANNA VVEGENERS, foemina virtutibus ma-
tronam exornantibus spectabilis, quæ & ipsa dudum è
consortio viventium exivit; Unica illius germana Soror

A N N A, nuptum data viro spectabili & erudito Dni
JOHANNI TOPPEN, Judicij Neobrandeb. Advoca-
tato, adhuc in vivis superest, mortem repentinam &
inopinatam fratris charissimi, acerbis lacrymis & gemiti-
bus deflens. Parentes prælaudati, filium hunc suum **JO-**
HANNEM, ante omnia Christo servatori, per lava-
trum regenerationis adduxerunt; & post accrescente
ætate bonis litteris imbui, honestis moribus excoli, &
quod primum est rerum omnium, pietate ac verâ Dei
notitiâ erudiri curarunt. Atq; hæc omnia mox à tene-
ris, in Schola patria. Post vero ubi fundamenta lingua-
rum & artium bona jecisset, Ruppinum missus est **JO-**
HANNES, studiorum porrò excolendorum gratia; Et-
iam ibi rem suam bene gnaviterq; gessit: & eum sibi con-
quisivit eruditionis penum, ut Gymnasio Berolinensi
nomen dare, ejusq; alumnus, haut è postremis, fieri me-
ruerit. Quantâ hic industria & ardore operas suas collo-
carit in excolendo ingenio, subductu & conversatione
domestica Dn. **M. GEORGII GUTKII**, Rectoris, id
vero præterquam quod & testentur & laudent illius
commilitones juxta ac Præceptores, etiam opere & fa-
cto ipse vivus abundè demonstravit. Berolino perrexit
Hamburgum, ubi Gymnasij Professoribus diligentiam
modestiamque suam item probavit, per integrum bien-
nium, Læctionum Disputationumq; publicarum audi-
tor impiger. Sed jam non ferebat ejus ætas, & elegans
profectus in litteris, diutius obhærere in humilioribus
Musarum subselliis ac palæstris. Prodeundum illi erat
in lucem Academicam, & salutandi audiendiq; Professo-
res altiorum facultatum Itaq; alijs prætulit **VViteber-**
gam, in quâ sesquiannum traduxit, non desidiâ,
non

non petulantia, luxuria, illusionibus, aut id genus
vitiis, in qua ista aetas prono impetu ferri solet; sed sedulitate,
continentia, modestia, pietate, quae virtutes Studioso adole-
scenti idem sunt, quod adamas generosus aureo diademati.
Sic perrexit pie defunctus Johannes Gemlinus, ab infimis,
per media, ad altiora; E Scholis trivialibus, per Gymnasia, ad
Universitates; & in singulis didicit quidnam sit pulcrum, quid
turpe, quid utile, quid non. E singulis petijt quod in rem, & u-
sum, & ornatum suum esset; imitatus Mercatores, qui ad di-
versas nundinas inuisunt, ut comparent hic alias, alias alibi
merces pro instruendis tabernis: Imitatus sedulas apes, quae
ex humi nascentib. flosculis, ex elatis fructibus, ex proceris
arboribus mel suum & ceram colligunt. Tandem & in hoc
nostrate Lycæum pedem intulit ante biennium ferè, eoq;
temporis decursu præter Philosophicas disciplinas, interq;
has, Mathesin; summopere sibi commendatam habuit Juris-
prudentiam, ad quam è penetralibus pernoscendam, nullis
vel sumptibus, vel laboribus pepercisse visus est, tam publica
quam privata Collegia, præsentia ac industria sua frequentio-
ra reddens. Qui ejus alloquio & conversatione usi sunt, non
possunt non ei ascribere gloriam Elegantis Viri Juvenis, qui
se se commendabilem fecit plerisque illis dotibus, quib. præcla-
ra & ingenua ingenia ornata esse oportet. In primis pietati fuit
addictissimus, cujus tum cætero vitæ tractu, tum morbo circū-
ventus, ipsoq; mortis articulo, præclara edidit specimina.
Cum enim, ut ante monui, fatalis quidam Casus eum affixis-
set lecto, ubi sensit vim Febris indies sævire magis, vires labaf-
scere, commisit summam rerum, & salutem curamq; sui, mise-
ricordi Deo: Mox postquam delictorum confessionem edi-
didisset Curatori animæ suæ, Dn. D. J. Quistorpio, & pabulo
æternæ salutis, Sacramento Corporis & Sanguinis Christi, re-
fecit.

fecisset languidam animulam, adornavit se ad tranquillam emigrationem: Et constans in fide, patiens dolorum, mente recta atque integra, inter preces & suspiria hospitis sui Dn. D. Theodori Varnejeri, plurimumq; popularium, sine ullo doloris indicio, Spiritum reddidit creatori suo, die 27. Junii, Inter horam 4. & 5. pomeridianam: quando per 12. dies cum tenuisset morbus. Ecce, Adolescentes! qui annis viribusq; fiditis! qui freti vigore pectoris, ingredimini elata ceruice! qui perpetuam vobis sanitatem pollicemini! Ecce adeo instabilis & caduca est fors vestra! Nondum seminensis abiit, cum hic vester commilito, membris omnibus firmus, Sanguine Vegetus, mente sanus incedebat per medium vestrum Chorum. Nunc quorsum iit hæc gloria? Conuersa est in putre cadaver, & mox in manipulum pulveris. O capite, hinc exemplum, vobis quod ex usu fiet! Excitate animos vestros ad fragilitatem iuventutis vestræ! Ita vos componite, ut si momento cita mors veniat, non imparatos vos inueniat. Huic vero, coetus vestri quondam membro & ornamento, exhibete ultimum humanitatis officium, & funus ejus concomitamini ad eum locum, in quo suaviter quiescet usque ad postremæ diei solemne iudicium. Vos item ceteri Cives Academici, Dn. Doctores, Professores, Magistri, Ministri Ecclesiæ, quotquot Doctrinam & studia literaria amatis, adeste sultis ad medium Horæ I. pomer. in templo Mariano, & frequentiore conventu, & funeris deductione demonstrate vestrum erga literarium, id est, proprium Ordinem, affectum benevolum.

P. P. Sub Sigillo Magistratus nostri, ANNO M. DC. XXXV, Kal. Quintil.

non petulantia, luxuria, vitis, in qua ista aetas prone, continentia, modestia, pielescenti idem sunt, quod adan. Sic perrexit pie defunctus J per media, ad altiora; E Scho Universitates; & in singulis diturpe, quid utile, quid non. Esum, & ornatum suum esset; in versas nundinas in visunt, ut e merce pro instruendis taber ex humi nascentib. flosculis, e arboribus mel suum & ceram nostrate Lycaum pedem in tempore decursu praeter Philhas, Mathesin; summo opere sib prudentiam, ad quam e pene vel sumptibus, vel laboribus quam privata Collegia, praesentia reddens. Qui ejus alloquio possunt non ei ascribere gloriose commendabilem fecit plara & ingenua ingenia ornata e additissimus, cujus tum caeter ventus, ipsoq; mortis articulo. Cum enim, ut ante monui, factet lecto, ubi senfit vim Febris inscere, commisit summam reru ricordi Deo: Mox postquam d disset Curatori animae suae, Dn aeternae salutis, Sacramento Co

, aut id genus i solet; sed sedulitate Studiose ad aureo diademati. emlinus, ab infimis, as, per Gymnasia, ad m fit pulcrum, quid est quod in rem, & u reatores, qui ad di hic alias, alias alibi s sedulas apes, qua icibus, ex proceris Tandem & in hoc ennium ferè, eoq; disciplina, interq; atam habuit Juris noscendam, nullis sus est, tam publica ria sua frequentio ne usi sunt, non is Viri Juvenis, qui otibus, quib. praec la nprimis pietati fait u, tum morbo circū didit specimina. Casus cum affixis magis, vires labacuramq; sui, misefessionem editortorio, & pabulo nguinis Christi, refecit.

